

priorum librorum ; sed tamen paulò post enumerat eos inter libros apodixeos qui vltimò debeant legi ; idem videtur velle in libro de libris propriis. Respondeo libri de demonstratione & alij posterius debent legi quia sunt extra artem, sed tamen ob utilitatem nihil prohibet quin prius legantur. Circa quod animaduertendum quod ordine doctrinæ libri Apodixeos idest Grammaticæ, dialecticæ philosophiæ vniusque præcedunt libros medicos : Sed Galenus postponit ratione finis celeriter assequendi. Vel dic quod per libros Apodixeos intelligit libros in quibus artis principia demonstratur, non de demonstratione.

CONTRAD. XLI.

Doctrina optima an mediocris, an idem doctrinæ & rei Principium.

[**D**Octrina optima quæ vtrumque vitium effugit prolixitatis nimix, & breuitatis.] Inquit Galen. secundo de crisi, oppositum tamen primo de alimentis optima doctrina est quæ voce perficitur, nam nemo fit nauclerus ex commentariis : post eam quæ per longissima commentaria. Ex quo colligitur quod meliora sunt quæ per viam Dialogi. Respondeo inexpertis prolixa, eruditis mediocria. Similiter dicit sexto de decretis Hippocratis, & Platonis: quod doctrina quæ est secundum rem debet initium sumere à rei initio, Stultumque esse aliud doctrinæ, aliud rei inuenire principium. In oppositum est dictum Philosophi primo Physicorum. [Innata est nobis via, vt ex notioribus nobis ad naturæ notiora procedamus.] igitur principium doctrinæ est ab effectu, cum initium rei sit à causa. Et similiter Galenus in præsentis libro dicit primò sanum, ægum, & neutrum dici de causa, inde de corpore: sed tamé infra incipiendum à corporibus docet, non à causis; nam vt ibi habetur primum de corporibus dicit tractandum, inde de signis, post de causis. Respondeo quod in inueniendo oportet à facillioribus & à fine inchoare in artibus: in tradendo inuentis principiis ab ipsis tractationem in artibus exordiri, vt elementis inde humoribus; in operando tamen ab vtilioribus, secundo de tuenda sanitate.

CONTRAD. XLII.

De nominibus an habenda ratio

Galenus secundo de differentiis februm: [Non est de nominibus, inquit Plato, cura habenda quibus tantarum rerum cura proponitur.] Et secundo artis curatiuæ. Non esse eius qui de re-

bus sit peritus, vt de nominibus ipsis contendat. Et rursus tertio eiusdem: [Milies dictum est non oportere de nominibus contendere.] Et vndecimo de vsu partium vt nullibi alibi: Equidem de nominibus, nunquam laboraui; & modo de re ipsa conueniat liceat tibi solem tenebras, & illius supra terram stantis claritatem noctem appellare. Quo in sensu etiam recte mihi Princeps dicere visus est prima primi: [De nominibus non disputamus, sed intentiones idest res ipsas, & differentias intelligere debemus.] De hoc sunt infinitæ Galeni vt de nulla alia re autoritates. In oppositum sexto de decretis, [Initium ipsius doctrinæ à recta nominum definitione ortum habere debet, succedit enim recte nominum interpretationi solutio multarum quæstionum.] Et tertio artis curatiuæ loco ferme in contrarium adducto: caput à vitandam deceptionem est, vt definita oratione vtaris. Respondeo nomina vel sunt alterius vt Hippocratis, & tunc rectè sunt interpretanda, quia sensum commutant, atque ideo in rebus errorem inducunt: Vel nouè finguntur, & tunc dicit Galenus ego non curabo de nominibus dummodo rem ipsam non varient, & ab omnibus perspicuè intelligi possint; aliter sollicitudo de eis habenda est.

CONTRAD. XLIII.

Pulmo an moueatur vacui necessitate.

Galenus in libro de thoracis motu conatur ostendere pulmonem moueri vacui metu à thorace, quod thorace quiescente pulmo quiescit, non autem versa vice, igitur pulmo à thorace mouetur: & non inquit quia illi sit annexus vlla ex parte, igitur vacui ratione. Idem s. de locis pulmo ex se nullum habet motum quo dilatatur, sed thoracis motu distenditur, ex se autem subsidet flatu expresso quemadmodum spongiæ. Quod exemplum potius contratio modo se habet, nam humore expresso dilatantur, vt ad naturalem statum redeant. Idem sexto de vsu partium expressè, & de vsu respirationis: repetit idem secundo de decretis Hippocratis & Platonis: & primo de difficultate spirandi quod etiam fermè in septimo de vsu partium dixit alia non pauca declarans: nam distento inquit pulmone ne vacuum detur aer consequitur, impletque pulmonem: ex quo pars etiam quædam licet parua vt octauo administrationum anatomicarum docet. Hæc tam multa volui scripsisse, vt liceat cuique loca videre, diligentiusque mentem Galeni contemplari, falsò tamen credit pulmonem non esse annexum pectori, in hominibus enim hæc experiètia docet & Vesalius testatur 6. de fabrica humani corporis. Sed & Auerroës 2. collectaneorum responderet rationi Galeni di-